

lana 25. Sept. 1584 apud *Barbosa* de Canonic. cap. 26. n. 14.

### PUNCTATOR et CONTRA-PUNCTATOR.

#### 1) Electio, Munus et Salarium.

*Ad dubium*: An electio Punctatoris facta per Archiepiscopum praeter alium a Capitulo electum stustineatur?

S. C. C. resp.: Affirmative et scribatur Archiepiscopo, ut omnes punctaturas reddat uniformes dispositioni S. C. T.

Die 27. Sept. 1732.

Punctator retinere debet librum in loco publico ibique deficientes adnotare ac librum ostendere cuicumque postulanti. S. C. E. in Pisaurien. 19. Nov. 1649.

*Contrapunctator* ejusdem Eccl. eligendus est, ut confrontatione, si opus sit, possint detegi fraudes. S. C. E. in Fundana 15. Febr. 1503 et in Licien. 18. Febr. 1602.

Compelli possunt Punctatores ad exhibendum librum Ordinario, non vero ad oretenus eidem quotidie significandum deficientes. S. C. E. in Castellaneten. 20. Aug. 1692.

Potest Episcopus cogere Canonicos ad praestandum Juramentum de fideliter punctando in choro. S. C. C. 17. Mart. 1619 apud *Barbosa* de Canonicis cap. 34. n. 20.

Punctatores, quorum electio spectat ad Capitulum, ut decrevit S. C. C. in Conversanen. 4. Decb. 1706, admonendi sunt, quod si conniventer praetermittunt punctare eos, qui juxta Ecclesiae et Collegii statuta punctandi sunt, tenentur de proprio restituere distributiones, quae accrescerent interessentibus; et ulterius graviter peccant, prout illos monendo tradit Episcopus Gravinen. in suo Tractatu, L'Ecclesiastico in Coro cap. 27. n. 33. his verbis: „Or se nondimeno i Puntatori per riguardi umani d'affetto,

timore, speranza, o qual altro sia, tralasciano di puntare i difettanti, vengono ad essere ladri sfacciati, perchè levando palesemente l'emolumento a chi tocca per ragione di accrescimento, o per altro titolo, lo danno a chi per legge non tocca; Oltre di che si rendono egli stessi rei del disservigio dio Dio sul punto geloso del Divino suo pubblico culto, ed il loco peccato viene a contrarre certo che del grande coram Deo contanto da lui detestato in quei suoi Ministri, i quali retrahebant homines a Sacrificio Domini.“ Sic apud *Monacell.* tom. 4. supplement. ad 1. t. n. 148.

Poena Censurarum imponi non debet non restituenti damnum ex omissione punctandi, sed carceris ad triennium et similium. S. C. E. in Castellaneten. 21. Aug. 1602 apud *Nicol.* in Flosculis verb.: Punctator. n. 6.

*Salarium* debetur Punctatoribus. S. C. E. in Meliten. 16. Apr. 1602 apud *Nicol.* l. c. n. 5.

Vd.: *Chorus* (egressus, absentia); *Missae* (tempore chori); *Punctat.* (*Cass.*)

#### 2) Persona.

*Ad dubium*: An Punctator chori possit esse Capellanus amovibilis ad nutum Capituli?

S. C. resp.: Punctatores convenit esse de gremio Cathedr. et residentes in choro.

N. 3597 ad 17 die 10. Sept. 1701.

### PUNCTATURA

Presbyteror. in choro interess. fierine debeat?

Vd.: *Chorus*; *Distribut.*; *Fructus*; *Officium* (Oblig. etc.); *Punctandi.*

Nullius Fasani.

(Conc. Tr. cap. 3. sess. 22.; cap. 12. §. *Praeterea* sess. 24. De Ref.)

In Ecclesia Matrice receptitia adscripti sunt quadraginta Sacerdotes,

qui destinatis hebdomadis choro intersunt, omnibusque praest Prior et Curatus Ecclesiae. Ex antiqua consuetudine et decretis in s. visitatione factis anno 1660 ab apostolico visitatore, absentes et tempore statuto non intervenientes choro punctantur. Parochus seu Prior praetendit, immunem esse a punctaturis, si absit a choro et residentia ad bimestre tempus ex facultate ab ordinario sibi concessa juxta disposita in cap. 1. sess. 23. de Reform. E contra nonnulli ex sacerdotibus adscriptis admittunt quidem parochum non esse punctandum, cum inunia parochialia exercet et si absit vel ratione malae valetudinis aut alia de causa legitima et a jure approbata, secus autem si propter sua privata et domestica commoda, eo quia Concilium indulgeat parochis, ut ad duos menses abesse possint, non autem ut lucrentur distributiones aut punctari non debeant in Ecclesiis collegiatis sive receptitiis, in quibus ultra animarum curam etiam choro inserviunt; quare monito procuratore parochi dignentur EE. PP. definire:

*An Prior et Curatus Ecclesiae Fasani in casu absentiae a choro etiam ex facultate sibi ab ordinario concessa pro tempore a Concilio permissio punctari debeat?*

S. C. C. resp.: Affirmative.

Die 28. Nov. et 12. Dec. 1716.

Nepesina.

(Conc. Tr. cap. 3. sess. 21.; cap. 12. sess. 24. De Ref.)

Canonici Cathedralis Ecclesiae Nepesinae ultra Praebendas fixas, quas eorum quilibet obtinet, habent pariter quaedam legata pia cum oneribus missarum ex diversis Testatorum relictis, quaeque distribuuntur inter eosdem Canonicos pro rata, quorum emolumenta exiguntur per Camerarium

Capituli et in fine anni erogantur etiam pro rata iisdem Canonicis missas celebrantibus, retenta tamen ex iisdem emolumentis piorum legatorum favore Interessentium ea quantitate Punctaturarum, quas Canonici absentes a servitio d. Ecclesiae omittere solent, eo quod supponatur in eadem Ecclesia non fuisse adhuc separatam juxta S. C. cap. 3. sess. 21. tertiam partem fructuum Praebendarum convertendam in distributiones quotidianas. Porro Bonaventura Pisanus et Theodosius Ciaglia Canonici ejusdem Cathedralis obtinuerunt jam ab hac S. Cong. Indulta respective abessendi a propria residentia causa Studii, nulla tamen in eisdem Indultis facta mentione perceptionis fructuum sive distributionum; nihilominus praetensionem excitarunt, eos uti Privilegiatos non esse subjectos memoratis Punctaturis, quibus subjici solent reliqui Canonici absentes, neque praedictas Punctaturas detrahi posse ex fructibus d. legatorum piorum vel Praebendarum; hinc recurrerunt ad hanc S. C. pro declaratione. Requisite de more Episcopus Nepesinus informare pluribus praemissa comprobavit et adversus Canonicos Oratores Votum suum promere videtur, uti latius ex relatione danda in summar. Concordatis itaque infrascriptis dubiis cum Procuratore Capituli in Curia exorarunt hodie EE. VV. ex hinc inde deducendis decidere:

I. *An dicti Canonici Ecclesiae Cathedralis absentes causa studii teneantur solvere Punctaturas?*

Et quatenus affirmative;

II. *an dictae Punctaturae trahi possint ex fructibus legatorum piorum?*

S. C. C. resp. ad I.: Affirmative;

ad II.: Pro praeterito affirmative et in futurum Episcopus provideat

*An Decreta facta per Ordinarium Firmanum in ultima visitatione Collegiatae s. Bartholomaei Murri Vallium super reformatione tabellae Missarum solennium et diminutione punctaturarum Mansionariis et Clericis non assistentibus eisdem Missis et Vesperis, nec non suppletionis dictarum punctaturarum ex redditibus Sacristiae quoad Clericos ad Sacros Ordines non promotos sustineantur in casu?*  
S. C. resp.: Negative in omnibus.  
Die 22. Junii 1743.

### PURIFICATIO B. V. M.

#### 1) Alleluja, Gloria.

*Monasterio Rivipullensi conceditur, ut in ejus Ecclesia cantetur Alleluja et hymnus Angelicus in festivitate hypapanti (sive in festo Purificationis beatae Mariae) etiamsi ea inciderit post Septuagesimam.*

*Benedictus Episcopus servus servorum Dei, dilectissimis in Christo filiis ad festivitatem Hypapanti Domini in coenobio Sanctae Dei Genitricis convenientibus salutem et apostolicam benedictionem.*

Quoniam omnis universalis Ecclesiae nobis, quamvis immeritis, commissa secundum Deum credimus fore regimina, idcirco justis nos quorumcunque fidelium convenit annuere votis et ab inde cunctis emanare profectum, unde totius acceptum religionis constat exordium. Quapropter innotescimus caritati vestrae, quoniam adiens nos dilectissimus filius noster Oliba coenobii Ripollensis abbas zelo divino et beatae Virginis Mariae ductus amore, suppliciter petit, ut, si praedicta festivitas evenerit, postquam dimissa fuerit Alleluja, illa eadem die cantetur cum Gloria in excelsis Deo in solo praefato monasterio, sibi daretur licentia. Cujus precibus nobis annuere libuit

concedimusque illi et suis in perpetuum successoribus Alleluja, si jam abstiterit, hymnum quoque Angeli, cum est canendum. Quicumque igitur gaudiis hujus festivitatis in suprascripto loco studuerit interesse, sciat se donandum munere protectionis divinae et augmento benedictionis nostrae adjuvante Jesu Christo benignissimo Salvatore.

Anno 1013.

(Bull. r. t. I. p. 507. Ed Aug. Taur. 1857.)

#### 2) Candelae defer. a Clero inf. Missam.

Dum inchoatur Evangelium, Episcopus et omnes capiunt suas accensas candelas usque ad finem Evangelii et iterum ad elevationem SSmi eas tenent accensas usque post communionem; si vero fieret Missa de dominica\*) candelae neque ad Evangel. neque ad elevationem SSmi accendantur.

Caer. Ep. I. II. cap. XVI. n. 17. 19.

Canonici et caeteri de choro, dum cantatur Evangel., accendant candelas et illas accensas tenent usque ad finem Evang. et iterum ad elevationem usque post Communionem.

Ibid. cap. XVII. n. 6.

#### 3) Bened. Candelar. a Capellanis Confraternit. peragenda.

Vd.: *Orator. publ.* (Functiones etc.)

*Ad dubium*: An liceat Capellano Confrat. Mortis loci Praedarii facere bened. et distributionem candelarum in Oratorio pro Confratribus et Sororibus in festo Purificat. B. V. M.?

S. C. C. resp.: Affirmative.

Die 3. et 24. Sept. 1718.

Vd.: *Missale* (Correctio, dub. VIII.).

#### 4) Benedictio in Ecclesia vel Capella Lauretana.

Benedictio candelarum in solemnitate Purificat. B. V. M. est facienda juxta solitum in Ecclesia Lauretana, non autem in s. Capella.

Resol. a Bened. XIV. die 28. Jan. 1720. (Bull. ejusd. t. II. Append. III.).

#### 5) Celebrans missam bened. et distribuit candelas.

Vd.: *Benedictio palmar. cor. exp. SSmo; Episcopus Administr. (Celebr.); Confessar. Monialium; Purificatio B. V. M.* (Quis porrigit Celebr. etc.; Dignitas).

Absente Archiepiscopo benedictiones candelarum, palmarum et cinerum fiant per Celebrantem missam. n. 687 ad 3 die 12. Junii 1627.

Distributionem candelarum spectare ad Celebrantem non autem ad Vicarium. n. 1258 die 21. Aug. 1640.

Distribuentem candelas, cineres et palmas et similia teneri et obligatum esse celebrare solemniter in dictis functionibus. n. 1264 die 15. Septbr. 1640.

Hebdomadarii celebrantis munus esse benedicere candelas et caetera hujusmodi neque exemplum sumendum a Summo Pontifice, cujus supremae potestatis propria et specialis praerogativa existit semper et ubique benedicere, etiam praesente Celebrante. n. 1448 ad 7 die 16. Maii 1643.

Episcopum posse cogere etiam per censuras, ut, qui benedicit candelas, palmas etc., prosequatur etiam missam. n. 1663 die 22. Martii 1653.

Missam sol. ab eodem, qui benedicit candelas etc., semper celebrari debet. n. 3416 ad 2 die 30. Martii 1697.

Missas post ab Archipresbytero peractas benedictiones et distributiones candelarum, cinerum et palmarum, omnino per eundem Archipresbyterum

celebrandas. n. 1747 die 19. Decbr. 1654.

Candelarum distributionem in Ecclesia Puteolana die Purificationis ad Cantorem pertinere, cum eidem vigore decreti erectionis suae Dignitatis competat ea die missarum solennia persolvere. n. 1991 die 14. Junii 1659.

*Ad dubium*: Utrum immemorabilis et universalis consuetudo a parochis servata, quin missam celebrent, benedicendi candelas, cineres, ramos etc. censenda sit legitima? S. C. resp.: Benedictiones, de quibus in precibus, peragenda esse per Celebrantem. o. 4838 ad 2 die 1. Sept. 1838.

Non licere Decano non celebranti candelas, palmas etc. distribuere, sed haec munera ad eum, qui solemniter celebret, in his functionibus spectare. n. 929 die 2. Aug. 1631; n. 1369 die 8. Febr. 1642.

Non licere Praeposito facere benedictionem candelarum etc., nisi cantet etiam missam talibus functionibus adjunctam. n. 1696 ad 2 die 7. Martii 1654; n. 1728 die 19. Sept. 1654.

Prima Dignitas pro Pontifice celebrans distribuit candelas, palmas et cineres capite detecto, et quod videatur, quid servetur in Basilica s. Petri, ubi repertum est, servari capite detecto. n. 649 die 18. Julii 1626.

Dignitas prima distribuens candelas et palmas laicis stare debet capite detecto. n. 806 die 31. Martii 1629.

Celebrans, qui distribuit candelas, cineres et palmas, detecto capite distribuatur. n. 2363 ad 15 die 13. Febr. 1666.

#### 6) Celebrans sedet, dum Episcop. distrib. candelas.

*Ad dubium*: An Celebrans et Ministri debeant sedere vel stare capit-

detractionem punctaturarum ad formam Concilii.

Die 18. Julii et 8. Aug. 1711.

Cassanen.

In civitate Maratheae reperitur parochialis atque receptitia Ecclesia sub titulo s. Mariae Majoris erecta, cui praeter Archipresbyterum animarum onus sustinentem modo adscripti sunt sexdecim Presbyteri, ut ajunt, Participantes, quorum decem in eadem Ecclesia missarum anniversariarum atque collectarum onera adimplent sub certo stipendio a piis Testatoribus relicto, ceteri vero consimilibus satisfaciunt oneribus in filiali Ecclesia sanctissimae Annuntiatae, ubi ad majorem populi commoditatem retinetur Vicarius seu Capellanus Curatus, ut memorato Archipresbytero in Sacramentorum administratione auxiliariam opem praebeat.

Episcopus in Pastoralis Visitatione sub annum 1732 per acta animadvertens servitium dictarum ecclesiarum a praefatis Presbyteris cum populi scandalo negligi, voce tenus eis praecepit, horas canonicas ibidem singulis diebus festis de praecepto una cum Missae Conventualis celebratione persolvere necnon Exequiis sacrisque processionibus interesse, subindeque, ne idipsum negligeretur, volens certam Punctaturae methodum statuere, de scripto mandavit: „ut Punctatores duo e Clero eligantur eodem die, quorum Punctatorum unus semper choro interesse debeat, qui omnes juramentum praestare debeant de fideliter ejusmodi munere obeundo in manus Illustrissimi Domini aut eo absente illius Locumtenentis, qui profecto Punctatores, posthabitis omnibus humanis affectationibus ac mundi legibus Deo adversantibus singulis diebus in libris ad id specialiter deputatis fideliter no-

tent defectum omnium illorum, qui choro, processionibus aut Exequiis interesse debent, idque sub poena suspensionis, sine quorum Punctatorum interventu aut non lectis Punctatorum libris, non possint Cellararii aut Punctatores aliive, ad quos spectat, distributiones sacerdotibus aliisque interessentibus partiri sub poena Cellarariis aut Procuratoribus suspensionis in casu contraventionis, quod si aliquando contigerit, Punctatorem choro non interesse, tum per antiquiorem Sacerdotem, qui choro intersit, ejusmodi Punctatoris munus cum eadem fidelitate ac sub eadem poena expleatur.“

Ad normam hujus Decreti die 15. Aug. 1732 in Ecclesia s. Mariae Majoris deputatus fuit Punctator Blasius Antonius Jaconianus, in Ecclesia vero Sanctissimae Annuntiatae Jacobus Sisannus illius Capellanus Curatus, subindeque, defuncto praedicto Blasio Antonio major pars ditorum Sacerdotum, aliis Punctatoribus ab Episcopo electis, subjurandi religione ad enuntiati Decreti observantiam sese obstrinxit.

Verum quia septem ex praedictis Presbyteris detractantes huic Episcopi Decreto obtemperare sub obtentu, quod pro Divini Officii recitatione eis injuncta nullum percipiant emolumentum, interjecta appellatione, recursum habuerunt ad S. Cong., excitatus proinde Episcopus, confirmata facti serie mox descripta, ut sui Decreti justitiam tueatur, exponit: primo, quod in Synodo sub annum 1657 a Gregorio Caraffa tunc temporis Episcopo Cassanensi habita cap. 3. tit. 2. de Divin. Offic. ita sancitum fuit: „Omnes et singulos supranumerarios vel non participantes de Massa communi ad interveniendum choro in Vesperis, Missis Conventualibus singulis Dominicis et festo de praecepto teneri volumus; deficientes punctentur et ad Nos vel nostrum Vicarium Generalem denun-

cientur per parochos seu Procuratores, ad quos spectat, ut pro modo culpae puniantur.“

Deinde, ut probet juxta antiquissimum suae dioecesis morem omnes Participantes Divina Officia in parochialibus Ecclesiis quolibet die persolvere consuevisse sub certa pecuniarum muleta Presbyteris absque justa causa absentibus infligenda, profert nonnullorum Testium depositionem nec non duo decreta, quorum alterum ab Episcopo de Magistris editum in visitatione anno 1695 expleta sic habet: „Cum ad majorem Dei gloriam, animarum salutem et hujus Civitatis tanto honorifico et exemplari Clero illustratae splendorem Divini Officii recitatio in choro Archipresbyteralis Ecclesiae multum conferat, mandamus omnibus et singulis sacerdotibus in illo interesse, cum sua est hebdomada, sub poena duorum assium vulgo grani pro qualibet deficientia retinendorum a Procuratore R. Cleri ex distributionibus quotidianis cum hac conditione, ut illa rata dividatur et hujus Decreti observantiam curabit R. Locumtenens episcopalis.“

Postremo subdit, memoratos Presbyteros satis pingui redditu provisos esse ita, ut de asserto onere injuste conquerantur, quippe qui percipiunt omnes oblationes, quae die Sabbati s. colliguntur, itidemque participant ex decimis ad quadringenta frumenti modia annuatim ascendentes absque ullo alio onere, quam sola assistentia in choro diebus festis de praecepto, necnon septingentos et quinquaginta numos aureos circiter cum solo onere Missarum 3750, ac emolumenta ex processionibus et defunctorum funeribus obvencientia lucrantur.

Adversus haec respondent iidem septem Presbyteri, omnia Decreta tam in Synodo quam in visitatione edita loqui dumtaxat de Ecclesiis, quae pro

servitio chori et Divini Officii recitatione annuos redditus destinatos habent, eorum autem Ecclesiam, cujus annui redditus caeteraquin, ut asserunt, tenues Missarum, anniversariorum et collectarum aliorumque onerum implemento addicti reperiuntur, afficere nequeant; minusque eos obligare praefatum Decretum Episcopi de Alagistris, quippe qui postmodum ad preces Cleri ejusdem Ecclesiae declaravit, praemissum Decretum remanere de Consilio absque poenis ex causis ei benevisis, indeque factum esse, ut deinceps memoratus Clerus, solo propriae pietatis impulsu, nulla a Presbyteris absentibus exacta poena, Divinum Officium in choro diebus festis hucusque recitare consueverit.

Ceterum, quia audent se non posse ad controversum onus compelli, tametsi dictae Ecclesiae servitio in Ordinum susceptione fuerint adscripti, ad hanc rem spectant plura Decreta tam hujus S. Cong. quam alterius Episcoporum et Regularium negotiis praepositae, quae referuntur a *Monacell. formular. legal.* tom. 1. tit. 1. n. 22. et seqq. et tom. 2. tit. 15. form. 4. a n. 4. ad 7., *Pignatell.* tom. 3. consult. 56. et alia adducta fuere in folio Congr. habitae die 10. et 24. Jan. 1733 in una Alexanen. Servitii Ecclesiae lib. 83. Decr. p. 5 et 35.

Definiendum itaque erit:

*An Ordinationes promulgatae ab Episcopo super servitio chori et Ecclesiae una cum Punctaturis contra Sacerdotes Participantes Cleri s. Mariae Maratheae sustineatur in casu?*

S. C. C. resp.: Affirmative et amplius.

Die 18. Junii et 20. Aug. 1735.

Firmana.

Ecclesia s. Bartholomaei Oppidi Murri Vallium sub annum 1586 Collegiatae nomine fuit decorata, institutis in ea

Praeposito, qui caput esset Collegii, novem Canonicis, tribus Mansionariis ac tribus itidem Clericis, quos chorales appellant, eorumque singulis assignati fuere annui redditus, Praeposito quidem scutorum centum supra viginti, Canonicis sexaginta, Mansionariis triginta et Clericis quindecim, iisque omnibus tributa etiam fuit potestas condendi statuta pro felici Ecclesiae regimine ab Ordinario tamen probanda. Dum hujus Ecclesiae Sacram visitationem perageret sub annum 1607 Firmanus Antistes, decrevit, ut Clerici in divinis Officiis ad Antiphonas, Versiculos, Invitatorium et Responsoria praesto semper esse deberent, unusque ex illis Missae Conventualis celebrationi ministerium praestaret; hanc porro Missam solemnibus quibusque diebus Praepositus, aliis vero diebus dominicis ac festis, servata Ecclesiae consuetudine, Canonicus hebdomadarius caneret, duoque ex Mansionariis et Clericis Officium Diaconi atque Subdiaconi explerent iidemque pluvialibus induti adsisterent in solemnibus Vesperis. Denique jussit, eum, qui muneri suo deesset, punctatura mulctari.

Quid puncturae nomine deinceps statutum fuerit, ignoratur. Constattamen probatam fuisse sub annum 1659 a Clar. Mem. Cardinali Gualterio tunc temporis Firmanae Dioecesis Praesule auctorem ejus Puncturae a Capitulo s. Bartholomaei decretam ad summam usque obulorum viginti, quorum media pars beneficio Sacristiae cederet, altera vero tribueretur ei, qui Canonici vel Clerici deficientis munia exsolveret. Eademque poenae praescriptionem confirmavit modernus Archiepiscopus occasione sacrae visitationis.

Audiens vero postea idem Archiepiscopus non parum neglectam fuisse observationem eorum, quae de Officio Diaconi et Subdiaconi pridem sancita erant, illam denuo praecepit in po-

steriori alia visitatione „moderando tamen (sunt verba Decreti) puncturam duorum Juliorum ad unum Julium pro Diaconis persolvendum ab illis, qui suo munere non funguntur, etiamsi id proveniat ex defectu Ordinis, dummodo deficiens sit in legitima aetate ad illum suscipiendum constitutus, idque retineatur ex distributionibus et interim Capitulum statim tantumdem extradat ei, qui supplet in hujusmodi Altaris Ministerio. Quod si Mansionarius, cui Officium Diaconi, aut Clericus choralis, cui Officium Subdiaconi contingit, careat Ordine ex defectu aetatis et caeteroquin Divinis Officiis intersit, tunc Capitulum ex redditibus Sacristiae solvat dictum Julium suppleti in Officio Diaconi et dimidium suppleti in Officio Subdiaconi.“

Solemnia item Sacra, quae in praedicta Ecclesia Collegiata s. Bartholomaei antea celebrari consueverant, peculiari edito in eadem visitatione decreto contraxit ad minorem longe numerum, ita ut imposterum neque vespertina Officia canerentur in festis s. Mariae ad Nives et Montis Carmeli, neque sollemnis ritus amplius adhiberetur conficiendis Sacrosanctis Altaris Mysteriis in diebus Nativitatis s. Joannis Bapt., Dedicationis s. Michaelis Archangeli, Sanctissimo Rosario atque Adventui Domus Lauretanae sacris, necnon tertiâ et quarta feria majoris hebdomadae atque in pervigilio s. Bartholomaei Ap. principalis protectoris et praeterea cantus omitteretur in utrisque Vesperis dictorum dierum s. Joannis Bapt., s. Michaelis Archangeli, Festivitatibus Rosarii et B. V. Lauretanae celebritati dicorum, tum etiam in primis Vesperis Inventionis Sanctissimae Crucis et s. Sylvestri ac in secundis s. Annae et ss. Innocentium.

Aegre tulerunt Canonici, per gemina isthaec Archiepiscopi decreta immutatam fuisse Punctaturarum legem ac

redituum Solemnitatem. Ad eorum itaque preces Sacrae huic Congr. oblatas jussus ille fuit super hujusmodi decretis eandem S. Congr. instruere; is autem in sua Relatione significat plures ad se delatas jampridem fuisse quaerelas de immodico sollemni Missarum numero deque nimis gravi puncturae onere, rectius proinde sibi visum esse ait Collegiatam Ecclesiam s. Bartholomaei Ecclesiae Metropolitanae tamquam capiti conformare quoad morem celebrandi divina Officia, in eamque sententiam facilius venisse inspecta paucitate Ministrorum, ob quam experimento compertum est solennes Missas frequentius agi non posse quam in Metropolitana, ubi Ministrorum numerus adest longe major: „Tenuitas quoque (subjungit) non solum distributionum sed etiam praebendarum, quibus ii Ministri gaudent, me in hac animi sententia confirmavit; licet enim Mansionarii computatis omnibus scuta 30., ut in precibus habetur, percipiant, trium tamen Clericorum choralium unus quotannis percipit scuta 14., alter vero 13., tertius dumtaxat decem et haec quidem non solum cum onere residentiae sed etiam cum onere applicationis multarum Missarum; si autem his addatur excessiva punctura pro sollemnibus Sacris, non inveniemus, quibus hujusmodi beneficia conferre possimus ac praesertim Clericatus chorales; hos enim Adolescentes non accipient in spem ordinationis suae, si, antequam per aetatem ordinari possint, ad quolibet solenne Sacrum Julium unum solvere debeant. Quia vero sine stipendio non inveniebatur, qui suppleret, propterea decrevi, quod durante defectu aetatis ex redditibus Sacristiae, cui puncturae cedunt, suppleatur stipendium ministranti in Officio Diaconi vel Subdiaconi.“

Pertendunt e diverso Canonici, re-

tinendum omnino esse veterem morem in eorum Ecclesia receptum sive quoad solennem Divinorum Officiorum celebrationem sive quoad puncturae modum, quoniam id postulet conservandi et majoris et exactioris divini cultus ratio, tum etiam vis ac natura peculiaris ejus Ecclesiae consuetudinis, quae alteri in Ecclesia Metropolitana vigenti sit anteferenda; neque consuetudinem hanc, sive in se ipsa spectetur sive habita ratione reddituum, quos Mansionarii et Clerici percipiunt, adeo gravem esse existimant, ut eam aliqua in parte laxari oporteat, nec etiam putant adeo tenues esse eorundem Mansionariorum et Clericorum redditus, ut aliquam antiquae obligationis remissionem expostulent, quum praeter certam fructuum quantitatem, scutorum nempe triginta singulis Mansionariis et scutorum quindecim unicuique ex Clericis attributam, emolumenta quoque adsint distributionum quotidianarum per annum inter Insuperantes ita partiri solita, ut ab transacti decenni tempore (quemadmodum ex libris capitularibus id apparere testatus est publicus quidam Notarius) quotannis Mansionariorum cuilibet scuta quinque obveniant et major etiam quandoque summa.

Nullo denique pacto ferendum illud esse inquit, ut quoties ex Mansionariis vel Clericis aliquis ob defectum aetatis Sacris Ordinibus insignitus non sit ac Divinis Officiis intersit, non ipse sed Sacristia mercedem ei praebere teneatur, qui deficientis loco sacrum Ministerium adimpleat, quum ad id potissimum instituta sint beneficia isthaec Mansionariorum et Clericorum, ut isti fungantur munere Diaconi atque Subd., ac praeterea Sacristiae redditus vix ac nec vix quidem pro impensis sacrarum suppellectilium sufficient.

Itaque dispiciendum erit ab Eminen-